AUTHOR:

RUMMLER, KARL R. L.

TITLE:

DE FONTIBUS ET AUCTO-
RITATE PLUTARCHI

PLACE:

LIEGNITZ

DATE:

[1867]

Master Negative #
91-80190-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rummler, Karl Robert Ludwig,
...De fontibus et auctoritate Plutarchi in vita Cimonis, von dem Gymnasiallehrer Dr. Karl Robert Ludwig Rummler. Liegnitz, druck von H. Krumbhaar, [1867]
25 p. 24½ cm.

" Jahresbericht...des Gymnasiums zu Liegnitz...1867."

1 Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91 INITIALS M, B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Jahresbericht,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

Gymnasiums zu Liegnitz

und zu der

Entlassung der Abiturienten desselben,

welche

Mittwoch den 10. und Freitag den 12. April 1867

in dem

grossen Hörsaale der Anstalt

stattfinden sollen,

ehrerbietigst und ergebenst einladet

Dr. Eduard Müller,

Director des Gymnasiums.

Vorausgeschickt ist als wissenschaftlicher Theil des Programms:

De fontibus et auctoritate Plutarchi in vita Cimonis. Von dem Gymnasiallehrer

Dr. **Karl Robert Ludwig Rummler.**

Liegnitz,

Druck von H. Krumbhaar.

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE PLUTARCHI IN VITA CIMONIS.

SCRIPSIT
LUDOVICUS RUMMLER,
DR. PHIL.

Quicunque nostra aetate in litteris Graecis subtiliter sunt versati, ad unum omnes consentiunt, Plutarcho olim nimiam fidem esse tributam hominesque ab immodica scriptoris admiratione optimo jure nunc esse revocatos. Quod quamquam doctis viris persuasum est, tamen tantum abest, ut justas Plutarchi laudes detractare studeant, ut eum dignum habeant. qui iterum atque iterum legatur [1], neque tamen ut rerum scriptor, sed vitarum moralium. Vitis vero hujusmodi componendis cum Plutarchus id maxime spectaret, ut excellentium laudabiliumque virorum species proponeret, quibus intuendis lectores in laudis ac virtutis amore confirmarentur: facillime etiam invitus eo deduci potuit, ut imagines exprimeret paulo pulchriores erroresque et res minus bene gestas in bonam potius quam in malam partem interpretaretur. Quod se fecisse neque ignorat, neque dissimulat nam de ratione sua scribendi et alibi et in vita Cimonis exposuit, in qua c. II haec legimus: *Ὥσπερ γὰρ τοὺς τὰ καλὰ καὶ πολλὴν ἔχοντα χάριν εἴδη ζωγραφοῦντας, ἂν προσῇ τι μικρὸν αὐτοῖς δυσχερὲς, ἀξιοῦμεν μήτε παραλιπεῖν τοῦτο τελέως μήτε ἐξακριβοῦν· τὸ μὲν γὰρ αἰσχρὰν, τὸ δ' ἀνομοίαν παρέχεται τὴν ὄψιν· οὕτως, ἐπεὶ χαλεπόν ἐστι, μᾶλλον δ' ἴσως ἀμήχανον, ἀμεμφῆ καὶ καθαρὸν ἀνδρὸς ἐπιδεῖξαι βίον, ἐν τοῖς καλοῖς ἀναπληρωτέον ὥσπερ ὁμοιότητα τὴν ἀλήθειαν. Τὰς δ' ἐκ πάθους τινὸς ἢ πολιτικῆς ἀνάγκης ἐπιτρεχούσας ταῖς πράξεσιν ἁμαρτίας καὶ κῆρας ἐλλείματα μᾶλλον ἀρετῆς τινος ἢ κακίας πονηρεύματα νομίζοντας οὐ δεῖ πάνυ προθύμως ἐναποσημαίνειν τῇ ἱστορίᾳ καὶ περιττῶς, ἀλλ' ὥσπερ αἰδουμένους ὑπὲρ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, εἰ καλὸν οὐδὲν εἰλικρινὲς οὐδ' ἀναμφισβήτητον εἰς ἀρετὴν ἦθος γεγονὸς ἀποδίδωσιν.* Virtutem igitur, quae prae ceteris rerum scriptorem decet, veri tantum explorandi atque non solum sine ira, sed etiam sine studio memoriae prodendi non appetiit, quoniam non tam homines docere quam animos eorum erigere moresque emendare studuit. Sed cum mores excellentium virorum ex jocis et dictis facetis saepe clarius eluceant quam ex rebus praeclare gestis, hujusmodi narratiunculis nimiam auctoritatem tribuit, quamobrem pro rebus memoratu maxime dignis

---

[1] Cfr. Schoemann ed. Ag. et Cleom. p. VI.

nonnunquam res retulit, quae nobis aut levioris momenti aut plane viles esse videantur. Accedit etiam, quod tales narratiunculae maximam in partem apud scriptores deterioris notae inveniuntur; ex quibus, ubi primum in eos incidit, alia etiam aut dubia aut prorsus falsa in vitas transtulit, optimis scriptoribus, quos de iisdem rebus consulere licuit, plane neglectis. Praeterea ratione sua scribendi saepe eo deductus est, ut non auctorem sequeretur maxima fide dignum, sed eum, qui, quamquam a vero non prorsus aberraret, tamen praeclari viri laudibus quam maxime faveret. Negligentiam vero chronologiae saepius a doctis vituperatam, quam rerum scriptori optimo jure magno vitio verteremus, illi, qui vitas tantum composuit, eo libentius ignoscemus, quod ipse tales res ad mores emendandos non pertinere arbitrabatur [1]). Sed imminebant scriptori etiam alia pericula, quae eum a recta via deflecterent. Vitas enim, quas componeret, libellos separatos atque per se jam perfectos esse noluit, sed binas semper inter se conjunxit, quoniam vitas comparatos scribere sibi proposuerat. Haec autem est ratio scribendi, qua scriptoribus multa aut dubia aut omnino falsa judicia obtrudi possint. Negari quidem nequit, cum de viris et patria et tempore, quo florerent, diversis multa tradantur, quae vel eodem fere consilio suscepta vel ad eundem fere eventum perducta sint, narratione comparata effici posse, ut rerum gestarum causae interiores aperiantur multaque per se explicatu difficilia, si cum similibus rebus ab alio viro alio tempore gestis conferantur, in clariorem proferantur lucem. Attamem qui tales clarorum virorum vitas scripturus est, valde caveat, ne studio similium explorandorum correptus res etiam conferat, quae, quamvis comparatione dignae videantur, accuratius in eas inquirenti plane diversae appareant. Tum sane fieri potest, ut res gravissimae, ad propositum tamen minus bene aptae, omittantur, aliae autem levioris momenti afferantur. Itaque non immerito contendere licet, consilio illo comparandi inter se vitas clarorum virorum animum scriptoris finibus quibusdam circumscribi et quodammodo obtundi, ut praeoccupato animo nonnunquam non vera, sed sibi probabilia tradat, quippe quae bene comparari possint. In quos errores Plutarchum quoque incidisse vitas ejus perlustranti apparebit, quamquam quod sciam nemo adhuc, quid illa scribendi ratio ad Plutarchi fidem imminuendam valuerit, indagare sibi proposuit. — Sed si quaeritur, quo modo Plutarchus fontibus usus sit, confiteri decet, interdum nos offendi, cum scriptorem in hac vita laudatum in illa ut fide indignum perstringat, velut Stesimbrotum Thasium et Phylarchum [2]). Quae inconstantia Plutarchi inde profecta est, quod ad scriptores plerumque se non applicavit, nisi quatenus vel laudibus illustris cujusdam viri faverent vel ea narrarent, quae ad

---

[1]) Plut. Solon. c. 27.

[2]) De Stesimbroto infra copiosius exponetur. De Phylarcho ita judicavit in vita Themistoclis c. 32: *Φύλαρχος ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ τῇ ἱστορίᾳ μόνον οὐ μηχανὴν ἄρας — ἀγῶνα βούλεται κινεῖν καὶ πάθος, ὃ οὐδ' ἂν ὁ τυχὼν ἀγνοήσειεν ὅτι πέπλασται.* Tum in vita Arati c. 38: *ἐνθουσιᾷ γὰρ ὅταν ἅψηται τοῦ Κλεομένους ὑπ' εὐνοίας, καὶ καθάπερ ἐν δίκῃ τῇ ἱστορίᾳ τῷ μὲν ἀντιδικῶν διατελεῖ, τῷ δὲ συναγορεύων.* Nihilominus tamen Phylarchum in vitis Agidis et Cleomenis fere solum secutus est. Cfr. Schoemann prol. ad vit. Ag. et Cleom. p. XXVIII, § 7.

id, quod ipsi erat propositum, et ad singulare suum scribendi genus apta essent. Itaque haud scio an judicium ejus de Theopompo ad omnes scriptores, quibus utebatur, referendum sit: *Θεόπομπος*, inquit, *ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις ἢ ψέγοντι· ψέγειν γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖν* [1]). Ceterum cum vitas non sic componeret, ut continuo inter scribendum fontes, quos sequeretur, inspiceret, sed saepius memoriter narraret, non raro errores commisit [2]). Lapsus quoque haud pauci exstant, qui ex mediocri linguae latinae intellectu fluxerunt. Plutarchus enim ipse profitetur, se, quamquam saepius in Italia versaretur, tamen et publicis negotiis et institutione philosophica prohibitum fuisse, quominus latinae linguae studeret ideoque sero et provecta jam aetate litteras latinas attigisse [3]). Insigne vero exemplum erroris hujusmodi jam Xylander in vita Coriolani c. V. invenit, ubi Plutarchus „prosecuisset" ita verterat, quasi scriptum fuisset „prosecutus esset." Quo exemplo cum satis ostendatur, qualis fuerit Plutarchi scientia linguae latinae, reliqua ab editoribus vitarum collecta afferre facile supersedeam [4]). Sed praeter haec, quae in vitis parallelis minus laudabilia sunt, alia Heerenius deprehendit vitia, quae inde orta sunt, quod Plutarchus magis in rebus scribendis quam gerendis exercitatus fuit [5]). Credo vero, neminem eam ob rem scriptorem vituperaturum esse, cum vir, qui paululum tantum ad rempublicam accederet atque inter libros consenesceret, Thucydidi aliisque historicis et civili et bellica laude insignibus non erubescens palmam concedere possit. —

Hisce igitur praemissis nobis inquirendum est in fontes, quos Plutarcho in vita Cimonis conscribenda usui fuisse scimus Citantur enim ab ipso hi, qui sequuntur: Jon Chius, Stesimbrotus Thasius, Ephorus, Diodorus Periegetes, Callisthenes, Craterus, Phanodemus, Aristoteles, Gorgias Leontinus, Aeschines, Nausicrates, Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Melanthius, Archelaus, Critias, inscriptiones denique hermis incisae. Undique igitur Plutarchus scribendi materiam quasi corrasit, quod cuique scriptorum illa aetate penuriam consideranti minime mirum videbitur. Cujus rei Thucydides ipse testis est his verbis: *Ἔγραψα δὲ τὰ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διά τόδε, ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασι ἐκλιπὲς ἦν τὸ χωρίον καὶ ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά· τούτων δ' ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος, βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη. Ἅμα δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν ἔχει τῆς τῶν Ἀθηναίων, ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη* [6]). Omnes igitur ante Thucydidem scriptores cum aut res ante bellum Persicum a Graecis gestas aut ipsum bellum Persicum conscriberent, ille locum usque ad illud tempus neglectum tractare simulque explicare sibi proposuit, quanam ratione imperium

---

[1]) Plut. vit. Lys. c. XXX.
[2]) Quod jam Lessingium observavisse notum est.
[3]) Cfr. vit. Demosth. c. II, vit. lat. maj. c. VII.
[4]) Cfr. Coriol. 20, 30. Q. Fabius Maximus 2, 3.
[5]) Heeren de fontibus etc. p. 192.
[6]) Thucyd. I, 97.

Atheniensium exstiterit. Hellanicus quidem has res attigerat, sed breviter tantum temporibusque non accurate distinctis. Quae quamvis dilucide a Thucydide dicta videantur, tamen viri docti de iis dissentiunt, quamobrem accuratius in ea inquirere nobis liceat, praesertim cum digressio illa Thucydidea etiam ad propositum pertineat. Primum quidem intelligitur, Thucydidem non aliquas tantum res ab Hellanico [1]) vel ab aliis scriptoribus omissas relaturum fuisse, sed res omnino illo tempore gestas, ut brevem quidem, sed perfectam temporum inde a bello Persico usque ad initium belli Peloponnesiaci historiam componeret. Sed offendimur eo, quod in digressione nihil legimus de Dorisco in Persarum potestate retenta, de aerario sociorum Delo Athenas translato, de foedere inter Argivos et Spartanos icto tricennali, de coloniis denique et cleruchiis ab Atheniensibus deductis. Num igitur Thurydides id ipsum peccavit, quod Hellanico exprobraverat? Hoc sane mihi persuadere non possum. Quid igitur? Credo ego rem optime expediri, si rationem habemus verborum: *ἅμα δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν ἔχει τῆς τῶν Ἀθηναίων ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη.* Inde enim colligitur, Thucydidem non omnia per se memoratu digna narraturum fuisse, sed quae Athenienses domi bellique gessissent, quo sibi imperium pararent et stabilirent [2]). Quo factum est, ut non solum de partium contentionibus in urbe taceret, sed etiam de rebus in bello gestis, quae ad propositum non necessario pertinerent, cujus generis maximam partem res fuisse supra allatas non est quod multis verbis exponam. Confitendum tamen est, de nonnullis rebus hoc argumentum non sufficere ad explicandum, cur earum mentionem non fecerit, quare haud scio an Grotii conjectura [3]) probanda sit, qui Thucydidem fortasse praeter ea, quae in digressione retulerit nihil fide dignum comperisse suspicatur. Quam ad sententiam ut me applicem, maxime me adducunt loci quidam ex Thucydide ipso repetiti [4]), quibus omnia ante belli Peloponnesiaci tempora dubia atque incerta esse queritur: *Τὰ γὰρ*, inquit, *πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαιότερα σαφῶς μὲν εὑρεῖν διὰ χρόνου πλῆθος ἀδύνατα ἦν* [5]) quo loco sententiae connexu evincitur, verbis *τὰ πρὸ αὐτῶν* res significari ante bellum Peloponnesiacum gestas. Tum in libro I. c. XX postquam in antecedentibus historiam inde ab antiquissimis temporibus usque ad initium illius belli adumbravit, ita pergit: *Τὰ μὲν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι. Οἱ γὰρ τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται.* Hic quoque *τὰ παλαιὰ* non solum spectare ad res remotas, per se apparet. In fine denique ejusdem capitis haec exstant: *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔτι καὶ νῦν ὄντα καὶ οὐ χρόνῳ ἀμνηστούμενα καὶ οἱ ἄλλοι*

[1]) Haec fuit Hieckii sententia, quam optime refutavit Bemmannus p. 19 diss. de pace Cim. Berolini 1864.
[2]) Cfr. de hac re Schaeferi dissert. de rerum post bellum pers. etc. p. 1.
[3]) Grote hist. Graec. vers. Germ. III. p. 229.-231.
[4]) Qui loci a Grotio non citati sunt.
[5]) Thucyd. I, 1.

Ἕλληνες οὐκ ὀρθῶς οἴονται, ὥσπερ τούς τε τῶν Λακεδαιμονίων βασιλέας μὴ μιᾷ ψήφῳ προστίθεσθαι ἑκάτερον, ἀλλά δυοῖν, καὶ τὸν Πιτανάτην λόχον αὐτοῖς εἶναι, ὃς οὐδ' ἐγένετο πώποτε. Οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοῖμα μᾶλλον τρέπονται. Quae omnia si accurate perpendimus, statuamus opus est, silentio quidem Thucydidis non confirmari aliquid factum non esse, quod ab aliis scriptoribus traditum sit, semper tamen inquirendum esse, utrum Thucydides id omiserit, quod ad propositum non pertineret, an quod pro fide indignum habuerit [1]). — Sed in digressione illa cum Thucydides res breviter tantum tractaret ac nonnisi rerum capita attingeret, Plutarcho mores inprimis depingenti ad alios scriptores confugiendum erat ex quibus uberius, quae proposito apta essent, haurire liceret. Quaerenti autem quatuor se obtulerunt fontes, in quibus de moribus privatisque rebus Cimonis agebatur: liber Stesimbroti Thasii *περί Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους*, liber Jonis Chii *ἐπιδημίαι* inscriptus, fabulae poëtarum comicorum, oratio denique Nausicratis oratoris, quos omnes tales fuisse, ut Plutarchi rationi scribendi optime responderent, vix quisquam negabit. Sed quamvis id libenter concedant, tamen nonnulli propter venerationem Thucydidi [2]) a Plutarcho saepius praestitam non credunt, illum in vita Cimonis neglectum esse, inter quos Ekkerus nominandus est, qui in praefatione editionis vitae Cimonis (Trajecti ad Rh. 1843) contendit, Plutarchum epitome Thucydidis ita usum esse, ut et rerum capita, quae in illa proferrentur, sequeretur et temporum ordinem a Thucydide indicatum universe servaret. Quod si factum esset, nemo intelligit, cur Plutarchus res sane gravissimas velut Carystum post brevem obsidionem in deditionem acceptam et Naxum ob tributorum solutionem neglectam in servitutem redactam ne verbo quidem attigit [3]) Praeterea de pugna ad Salamina Cypriam commissa discrepant; nam Thucydides pugnatum esse dicit post mortem Cimonis, Plutarchus ante ejus mortem. Ekkerus quidem has difficultates removere sibi videtur statuendo, nostrum scriptorem cum judicio et de industria a Thucydide discessisse; mihi tamen id non probatur, cum neque quo consilio res illas omiserit, explorari possit, neque cur praeter suam consuetudinem non professus sit, se ab illo recedere aliumque sequi auctorem. Uno tantum loco Plutarchus Thucydidem adhibuisse videtur, in narratione de bello Messenio, ubi iisdem fere verbis utitur. *Οἱ δὲ*, inquit, *Λακεδαιμόνιοι τοὺς Ἀθηναίους αὖθις ἐκάλουν ἐπὶ τοὺς ἐν Ἰθώμῃ Μεσσηνίους καὶ Εἵλωτας, ἐλθόντων δὲ τὴν τόλμαν καὶ τὴν λαμπρότητα δείσαντες ἀπεπέμψαντο μόνους τῶν συμμάχων ὡς νεωτεριστάς* [4]). Haec verba sapiunt sane illa Thucydidea: *Οἱ γὰρ Λακεδαιμόνιοι δείσαντες τῶν Ἀθηναίων τὸ τολμηρὸν καὶ τὴν νεωτεροποιΐαν μή τι, ἢν παρα-*

[1]) Cfr. A. Schaeferi diss. de rerum etc. p. 1.
[2]) Cfr. Plut. Nic. c. I.
[3]) Haec Cimone duce gesta esse, quamvis illius nomen a Thucydide non citetur, sententiarum connexu comprobatur.
[4]) Plut. Cim. c. XVII.

μείνωσιν ὑπὸ τῶν ἐν Ἰθώμῃ πεισθέντες νεωτερίσωσι, μόνους τῶν ξυμμάχων ἀπέπεμψαν[1]). Ekkerus autem, quamvis ceteroquin Thucydidi addictus, hoc loco Plutarchum illo usum esse negat, quoniam noster rem paucis absolvat, Thucydides autem non fusius tantum et uberius, sed alio etiam et orationis et rerum contextu exponat[2]). Quid hoc sibi velit, mihi quidem non liquet; nam quod brevius hanc rem tractavit, documento esse non potest, eum Thucydidem non esse secutum. Itaque hoc loco excepto Thucydidem Plutarcho usui non fuisse constat. — Quae quamquam de Thucydide sufficere videntur, juvabit tamen fortasse breviter indicare res a Plutarcho traditas, quarum apud Thucydidem mentio non facta est. Praeter duplicem igitur Atheniensium in Peloponnesum expeditionem noster commemorat pacem Cimoniam, Cimonis exsilium ejusque in pugna Tanagrensi repulsam. —

Jam vero transire licet ad fontes, quibus Plutarchus primariis utebatur; ordiendum autem videtur a Stesimbroto.

Stesimbrotus patria Thasius fuit. Quo tempore vixerit, in universum quidem constat, quamquam, quo anno natus, quo mortuus sit, pro certo dici nequit. Plutarchus in vita Cimonis c. IV eum Cimonis aequalem fuisse his verbis nos docet: *Στησίμβροτος ὁ Θάσιος περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς*[3]). Ex Plutarcho quoque colligitur, Stesimbrotum post annum 430 (Ol. 87, 2) demum mortuum esse, cum infensam rationem, quae inter Xanthippum et Periclem intercederet, usque ad mortem filii duravisse tradidisset[4]). Xanthippus autem peste mortuus est[5]), quamobrem Stesimbrotus etiamtum vixerit Xanthippoque superstes fuerit, opus est. Athenas venisse videtur post Thasum in deditionem acceptam a. 462 (Ol. 79, 3)[6]), fortasse a Cimone ipso, ut patriam relinqueret, permotus. Athenis autem victum quaesivisse videtur scholis habendis, nam loco quodam Symposii Xenophontei confirmatur, eum ab auditoribus mercedem exegisse[7]). Scholae ejus pertinuerunt ad Homeri carmina. Ea vero, rationem illam sequens, quae inde a Theagene Rhegino, Cambysis aequali, apud Graecos invaluit, allegorico modo interpretatus est[8]). Eandem vero interpretationis viam illa aetate Anaxagoras instituit, qnare Lobeckius[9]) Stesimbrotum Anaxagorae disciplinae addictum fuisse arbitratur. Cui sententiae Heuerus[10]) obloquitur, quod Stesimbrotus et

1) Thucyd. I, c. 102.

2) Ekker proleg. p. 11.

3) Cum eo consentit Athenaeus XIII, p. 589: *ὅστις* (scil. Pericles) *καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ γυναικὶ ξυνῆν, ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ κατὰ τοὺς αὐτῷ* (Pericli) *χρόνους γινόμενος καὶ ἑωρακὼς αὐτόν.*

4) Plut. Pericl. c. 36.

5) Plut. Pericl. c. 1.

6) A. Schaeferi nou Clintoni rationem sequor.

7) Symp. III, 6: *Σὺ δὲ Στησιμβρότῳ τε καὶ Ἀναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς πολὺ δέδωκας ἀργύριον, ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε.*

8) Cfr. Schoemann ed. Ag. et Cleom. p. 69.

9) Lobeck Aglaoph. I, 157.

10) Heuer. diss. de Stesimbroto p. 17.

Pericli et Anaxagorae infensus fuerit; sed immerito; nam Periclis quidem adversarium illum fuisse satis constat, de simultate autem, quae inter Stesimbrotum et Anaxagoram intercesserit, nihil notum est.

Num scriptor noster praeter librum *περὶ τελετῶν* de Homero scripserit, neque in aperto est, neque ad nos attinet; magni tantum momenti nobis est opus ejus inscriptum *περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους*. Sed huic libro plerique viri docti non magnam fidem tribuerunt. Sintenisius[1]) quidem eum ita compositum fuisse credit, ut magnorum virorum nominibus obtrectaret magis, quam justis laudibus eos ornaret. Quod num de industria fecerit non constare, mirifice tamen eum sibi placuisse in miris et incredibilibus rebus referendis. Quam sententiam cupidissime arripuerunt et Lucas[2]) et Ekkerus[3]), qui opus ejus id fere, quod Francogalli „chronique scandaleuse" dicunt, fuisse contendunt. C. Muellerus quoque[4]) dicit, Plutarchum verum vidisse, quod non majorem ei quam comicis poëtis auctoritatem tribuerit[5]). Sed ego non assentio; quamquam neque de omnibus Stesimbroti patronus exsisto, neque semper eum veri studiosum fuisse arbitror. Cum enim sine dubio ab optimatium partibus staret, viros qui effrenatae populi licentiae minime indulgerent, quales Cimon et Thucydides, Melesiae filius, magni fecit eorumque laudibus quam maxime favit, de adversariis autem eorum non integro animo judicavit, et cum multa in eos contumeliose dicta essent, libenter haec accepit, neque num vera essent, explorare studuit. In Cimonis igitur imagine repraesentanda eam sequebatur rationem, quam Plutarchus ipse, ut res tantum referret, quibus clarissimus vir laudibus afficeretur; de Themistocle autem et Pericle partium studio inductus res quoque fide minus dignas, neque tamen ab ipso inventas tradidit Itaque non mirum est, quod Plutarchus, quamvis eum in vita Periclis perstringeret, in vita Cimonis libro ejus saepius usus est et nonnunquam, ut opinor, etiam ubi Stesimbroti nomen non citavit. Quae quidem Plutarchus ipse ex Stesimbroto repetita dicit, haec sunt: C. IV legimus Cimonem neque musica, neque ulla alia liberali disciplina institutum fuisse, a facundia etiam Attica leporeque dicendi fuisse alienum indoleque fuisse admodum generosa et aperta animoque magis Peloponnesio quam Attico. Sed si haec cum iis conferimus, quae Jon Chius apud nostrum c. IX narrat, intelligitur, Stesimbrotum Cimonem rudiorem finxisse, quam re vera fuerit. Tum c. XIV agitur de lite Cimoni illata, quod, cum Thasiis subactis in Macedoniam irrumpere potuisset, id non fecisset, donis ab Alexandro rege corruptus. Tum apud judices causam suam agentem dixisse: „Non Jonibus neque Thessalis divi-

1) Sintenis ed. Themist. p. 15.

2) Lucas, Versuch einer Charakteristik Cimons, Hirschberg 1835 p. 9.

3) proleg. ed. Cim. p 17.

4) fragm. hist. graec. II, p. 52.

5) Plut. Pericl. 13: *Οὕτως ἔοικε πάντῃ χαλεπὸν εἶναι καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθὲς, ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.*

μείνωσιν ὑπὸ τῶν ἐν Ἰθώμῃ πεισθέντες νεωτερίσωσι, μόνους τῶν ξυμμάχων ἀπέπεμψαν[1]). Ekkerus autem, quamvis ceteroquin Thucydidi addictus, hoc loco Plutarchum illo usum esse negat, quoniam noster rem paucis absolvat, Thucydides autem non fusius tantum et uberius, sed alio etiam et orationis et rerum contextu exponat[2]). Quid hoc sibi velit, mihi quidem non liquet; nam quod brevius hanc rem tractavit, documento esse non potest, eum Thucydidem non esse secutum. Itaque hoc loco excepto Thucydidem Plutarcho usui non fuisse constat. — Quae quamquam de Thucydide sufficere videntur, juvabit tamen fortasse breviter indicare res a Plutarcho traditas, quarum apud Thucydidem mentio non facta est. Praeter duplicem igitur Atheniensium in Peloponnesum expeditionem noster commemorat pacem Cimoniam, Cimonis exsilium ejusque in pugna Tanagrensi repulsam. —

Jam vero transire licet ad fontes, quibus Plutarchus primariis utebatur; ordiendum autem videtur a Stesimbroto.

Stesimbrotus patria Thasius fuit. Quo tempore vixerit, in universum quidem constat, quamquam, quo anno natus, quo mortuus sit, pro certo dici nequit. Plutarchus in vita Cimonis c. IV eum Cimonis aequalem fuisse his verbis nos docet: *Στησίμβροτος ὁ Θάσιος περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς*[3]). Ex Plutarcho quoque colligitur, Stesimbrotum post annum 430 (Ol. 87, 2) demum mortuum esse, cum infensam rationem, quae inter Xanthippum et Periclem intercederet, usque ad mortem filii duravisse tradidisset[4]). Xanthippus autem peste mortuus est[5]), quamobrem Stesimbrotus etiamtum vixerit Xanthippoque superstes fuerit, opus est. Athenas venisse videtur post Thasum in deditionem acceptam a. 462 (Ol. 79, 3)[6]), fortasse a Cimone ipso, ut patriam relinqueret, permotus. Athenis autem victum quaesivisse videtur scholis habendis, nam loco quodam Symposii Xenophontei confirmatur, eum ab auditoribus mercedem exegisse[7]). Scholae ejus pertinuerunt ad Homeri carmina. Ea vero, rationem illam sequens, quae inde a Theagene Rhegino, Cambysis aequali, apud Graecos invaluit, allegorico modo interpretatus est[8]). Eandem vero interpretationis viam illa aetate Anaxagoras instituit, qnare Lobeckius[9]) Stesimbrotum Anaxagorae disciplinae addictum fuisse arbitratur. Cui sententiae Heuerus[10]) obloquitur, quod Stesimbrotus et

1) Thucyd. I, c. 102.

2) Ekker proleg. p. 11.

3) Cum eo consentit Athenaeus XIII, p. 589: *ὅστις* (scil. Pericles) *καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ γυναικὶ ξυνῆν, ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ κατὰ τοὺς αὐτῷ* (Pericli) *χρόνους γινόμενος καὶ ἑωρακὼς αὐτόν.*

4) Plut. Pericl. c. 36.

5) Plut. Pericl. c. 1.

6) A. Schaeferi non Clintoni rationem sequor.

7) Symp. III, 6: *Σὺ δὲ Στησιμβρότῳ τε καὶ Ἀναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς πολὺ δέδωκας ἀργύριον, ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε.*

8) Cfr. Schoemann ed. Ag. et Cleom. p. 69.

9) Lobeck Aglaoph. I, 157.

10) Heuer. diss. de Stesimbroto p. 17.

Pericli et Anaxagorae infensus fuerit; sed immerito; nam Periclis quidem adversarium illum fuisse satis constat, de simultate autem, quae inter Stesimbrotum et Anaxagoram intercesserit, nihil notum est.

Num scriptor noster praeter librum *περὶ τελετῶν* de Homero scripserit, neque in aperto est, neque ad nos attinet; magni tantum momenti nobis est opus ejus inscriptum *περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους*. Sed huic libro plerique viri docti non magnam fidem tribuerunt. Sintenisius[1]) quidem eum ita compositum fuisse credit, ut magnorum virorum nominibus obtrectaret magis, quam justis laudibus eos ornaret. Quod num de industria fecerit non constare, mirifice tamen eum sibi placuisse in miris et incredibilibus rebus referendis. Quam sententiam cupidissime arripuerunt et Lucas[2]) et Ekkerus[3]), qui opus ejus id fere, quod Francogalli „chronique scandaleuse" dicunt, fuisse contendunt. C. Muellerus quoque[4]) dicit, Plutarchum verum vidisse, quod non majorem ei quam comicis poëtis auctoritatem tribuerit[5]). Sed ego non assentio; quamquam neque de omnibus Stesimbroti patronus exsisto, neque semper eum veri studiosum fuisse arbitror. Cum enim sine dubio ab optimatium partibus staret, viros qui effrenatae populi licentiae minime indulgerent, quales Cimon et Thucydides, Melesiae filius, magni fecit eorumque laudibus quam maxime favit, de adversariis autem eorum non integro animo judicavit, et cum multa in eos contumeliose dicta essent, libenter haec accepit, neque num vera essent, explorare studuit. In Cimonis igitur imagine repraesentanda eam sequebatur rationem, quam Plutarchus ipse, ut res tantum referret, quibus clarissimus vir laudibus afficeretur; de Themistocle autem et Pericle partium studio inductus res quoque fide minus dignas, neque tamen ab ipso inventas tradidit Itaque non mirum est, quod Plutarchus, quamvis eum in vita Periclis perstringeret, in vita Cimonis libro ejus saepius usus est et nonnunquam, ut opinor, etiam ubi Stesimbroti nomen non citavit. Quae quidem Plutarchus ipse ex Stesimbroto repetita dicit, haec sunt: C. IV legimus Cimonem neque musica, neque ulla alia liberali disciplina institutum fuisse, a facundia etiam Attica leporeque dicendi fuisse alienum indoleque fuisse admodum generosa et aperta animoque magis Peloponnesio quam Attico. Sed si haec cum iis conferimus, quae Jon Chius apud nostrum c. IX narrat, intelligitur, Stesimbrotum Cimonem rudiorem finxisse, quam re vera fuerit. Tum c. XIV agitur de lite Cimoni illata, quod, cum Thasiis subactis in Macedoniam irrumpere potuisset, id non fecisset, donis ab Alexandro rege corruptus. Tum apud judices causam suam agentem dixisse: „Non Jonibus neque Thessalis divi-

1) Sintenis ed. Themist. p. 15.

2) Lucas, Versuch einer Charakteristik Cimons, Hirschberg 1835 p. 9.

3) proleg. ed. Cim. p 17.

4) fragm. hist. graec. II, p. 52.

5) Plut. Pericl. 13: *Οὕτως ἔοικε πάντῃ χαλεπὸν εἶναι καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθές, ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.*

tibus patrocinor, id quod alii faciunt, ut ab iis colantur muneribusque afficiantur, imitans diligensque eorum et frugalitatem et temperantiam, quae ante omnes divitias pono; laetor tamen, quod hostilibus bonis urbem ditaverim." Elpinice autem, Stesimbroto teste, deprecatum pro fratre ad Periclem accessit, qui subridens respondit: „Vetula jam es et jam provectiore aetate, quam quae hujusmodi res conficere possis." Verumtamen in judicio fuit benignissimus et semel tantum, ut accusatione sibi mandata defungeretur, surrexit. Huic igitur narrationi de Cimone in jus vocato et absoluto, quam Plutarchus Stesimbroto auctore narravit, ego sane fidem habeo, praesertim cum videam, acerrimum criticum Grotium[1]) eam non rejecisse. Ceterum si quis Elpinicen non ad Periclem accessisse putat, ego repugnare nolo, quoniam haec res levioris momenti esse videtur. Bis denique Plutarchus ad Stesimbrotum de Cimone Lacedaemoniorum studioso provocat. Namque c. XVI illum secutus narrat, Cimonem geminis sibi ex Clitoria uxore natis alteri Lacedaemonio, Eleo alteri nomen dedisse. Sed non solum filiorum nominibus propensum in Lacedaemonios animum praestitisse, sed publice semper, si quis iu eos inveheretur, causam eorum egisse his verbis: *Ἀλλ' οὐ Λακεδαιμόνιοί γε τοιοῦτοι —*; atque inde factum esse, ut in offensas invidiamque civium incurreret. Hae sane res ita sunt comparatae, ut fidem iis denegare non possimus atque, quod sciam, nemo exstitit, qui eas pro vanis commenticiisque haberet. — His igitur locis Plutarchus Stesimbroti nomen citavit, sed cum saepius scriptorum nomina, quos sequeretur, silentio praeteriret[2]), jure conjicere licet, permulta alia etiam in vita Cimonis tradita e Stesimbroti libro fluxisse. Ac Sintenisius[3]) quidem acutissime conjecisse mihi videtur, in initio capitis XVIII Plutarchum Stesimbroto auctore usum esse, quoniam cum verbis: „*Εὐθὺς μὲν οὖν ὁ Κίμων κατελθὼν ἔλυσε τὸν πόλεμον καὶ διήλλαξε τὰς πόλεις*" plane congruunt haec in vita Periclis: *κἀκεῖνος κατελθὼν δὲ εἰρήνην ἐποίησε ταῖς πόλεσιν*[4]) nec minus quae sequuntur optime concinunt cum iis, quae Plutarchus in vita Cimonis c. XIV ex Stesimbroto desumpta dicit. Cui conjecturae ego non solum assentio, sed etiam persuasum habeo, res c. XVII explicatas excepta duplici in Peloponnesum expeditione[5]) ex Stesimbroti libro fluxisse. Tota enim narratio cum non historicum sapiat, sed rerum memorabilium scriptorem, Plutarchum aut Jonem aut Stesimbrotum secutum esse, consentaneum est. Ad Jonem vero scriptorem nostrum se non applicasse, inde colligendum esse arbitror, quod ille, quamquam Cimonis laudator, tamen minime negligentem, sed fide dignissimum se praestat. Itaque neque fieri potuit, ut infensam rationem jam tum inter Corinthios et Megarenses exstitisse traderet, neque credendum est, eum Cimoni haec tribuisse: *Ἀλλ' οὐχ ὑμεῖς ὦ Λάχαρτε τὰς Κλεωναίων καὶ Μεγαρέων πύλας κόψαντες,*

---

[1]) Grote hist. graec. vers. germ. III, p. 242.
[2]) Heeren de font. p. 21.
[3]) Sintenis ad Pericl. p. 133.
[4]) Pericl. c. X.
[5]) Hanc ad Lysistratam Aristophanis referendam esse infra demonstrabitur.

ἀλλὰ κατασχίσαντες εἰσεβιάσασθε μετὰ τῶν ὅπλων ἀξιοῦντες ἀνεῳγέναι πάντα τοῖς μεῖζον δυναμένοις[1]). Deinde priorem partem cap. X usque ad verba *ἐνέβαλλον εἰς τὰς χεῖρας* Plutarchum Stesimbroto debere opinor. Sintenisio[2]) quidem et Ekkero[3]) non dubium videtur, quin noster Theopompo auctore usus sit, quoniam Theopompi fragmentum ab Athenaeo (XII, 533 A—C) servatum cum Plutarchi verbis congruat; quod quamquam minime negaturus sum, tamen contendi non posse arbitror, alterum alterius auctoritatem secutum esse, sed quod saepius hic quoque accidisse puto, ut ambo ex fonte communi haurirent. Quem ut indagemus in Periclis vitam nobis inquirendum est. In hac vero Plutarchus, cum liberalitati Cimonis suas divitias consumenti munificentiam Periclis[4]) publicas pecunias distribuenti opponat, de Cimone iisdem fere verbis utitur, quibus, c. X vitae ejus. Talis autem ratio scribendi, qua Periclis rei publicae administratio acerbissime vexetur, cui magis apta est, quam Periclis inimicissimo, Cimonis laudatori, Stesimbroto? Hunc enim Cimonis liberalitatem, cujus etiam comici poëtae mentionem facerent, silentio praetermisisse mihi quidem persuadere nequeo. Ceterum de liberalitate Cimonis non omnibus civibus, sed curialibus tantum praestita in eodem capite provocat ad Aristotelem; neque tamen scimus, quo libro philosophus de hac re egerit. — Quibus de Stesimbroto expositis, nos accingamus, ut de Jonis vita et scriptis, quae quidem ad propositum pertineant, referamus. Jon igitur patria fuit Chius. Quo anno natus sit, nescimus; suspicari autem licet, natales ejus referendos esse ad Ol. 73. Adolescens enim Athenas pervenit ibique convivio interfuit, inter quod Cimon, quo strategemate Byzantii usus fuisset, narravit[5]). Illo autem anno Themistoclem nondum exsulem fuisse, sermonibus a convivis habitis confirmatur. Itaque cum exsilium Themistoclis anno 471 assignandum sit, Jonem infra annos 488—485 natum esse credimus[6]). Athenis degisse videtur usque ad mortem Cimonis, fortasse etiam aliquamdiu postea. Samio bello Sophocles eum convenit in Chio insula[7]), quare eum non multo post pugnam ad Salamina Cypriam in patriam rediisse verisimile est. Sed iterum Athenas se contulit ibique a. 428 Ol. 88, 1 tragoedia cum Euripide et Jophonte certavit[8]). Mortuus est ante actam *Εἰρήνην* Aristophanis, i. e. ante annum 419 (Ol. 90, 2)[9]); nam in hac fabula ejus ut mortui mentio fit[10]). Ex scholiis autem ejusdem fabulae discimus, eum non solum poëtam, sed etiam

---

[1]) Cim. c. XVII.
[2]) Sintenis ad Pericl. p. 133.
[3]) Ekker ed. Cim. p. 25.
[4]) Pericl. c. IX.
[5]) Cim. IX.
[6]) C. Muellerus exsilium Themistoclis quarto anno Ol. 77 tribuit, quare natales refert ad Ol. 74 (484—481). Ego vero Schaeferi rationem sequor.
[7]) Cfr. Athenaeus XIII, p. 603 E.
[8]) Cfr. Clinton fasti Hellenic. p. 69.
[9]) Secundum Clintoni rationem.
[10]) Aristoph. Pax v. 835 seq.

historicum fuisse Suidas et Harpocratio[1]) ei etiam philosophi nomen tribuunt. Nos quidem de poëticis et philosophicis operibus ejus exponere supersedemus; de historicis autem nobis disserendum est, cujus generis haec fuisse videntur: 1) *Πρεσβευτικὸς λόγος*, de quo nihil notum est 2) *Χίου κτίσις*, quae semel citatur in Etymologico Magno 3) *ὑπομνήματα* 4) *ἐπιδημίαι* 5) *συνεκδημητικός*. *Ὑπομνήματα* vero ab *ἐπιδημίαις* non diversa fuisse C. Fr. Hermannus comprobavit in indice lect. aest. Marburg. 1836, ubi p. IX de hac re ita disserit: „Quovis pignore contendimus, *ἐπιδημιῶν* librum ea continuisse, quae Jon apud exteros vidisset atque audivisset in peregrinationibus suis, de quibus *ἐπιδημεῖν* solenne verbum est; nam quod ejus libri fragmentum exstat de sermone Jonis cum Sophocle Chii habito, tamen de homine Attico loquitur, cujus ei memoria etiam in suis ipsius itineribus describendis occurrere poterat. Facilis autem conjectura est sophistas pariter ac poëtas, qui illa aetate per universam Graeciam vagabantur multumque temporis Athenis peragebant, si quando domum rediissent, popularibus suis non modo narrasse, verum interdum etiam scripta reliquisse, quae de hominibus per totum orbem famosis comperissent atque in commentarios retulissent; quas etsi narrationes necesse erat pro singulorum ingeniis diversas esse, tamen rumores potius populique fabellas quam veram rerum memoriam prodere potuisse apparet, neque exaggerationibus et portentis, qualia peregre redeuntes jactare solent, caruisse versimile est.“ Sed Hermannus de Jone justo acerbius judicavit; nam virum poëtica laude clarissimum, qui cum Euripide certaret, popularibus suis res fictas et res fide prorsus indignas narravisse, mihi persuadere nequeo. Hermannus sane non minus de Jone quam de Stesimbroto iniquam sibi finxerat opinionem ex iis, quae Plutarchus in vita Periclis ex scriptis eorum retulit. Sed si eorum auctoritatem tam parvi fecit, cur Plutarchus in vita Cimonis iis tam saepe usus est? Praeterea, quod jam C. Muellerus[2]) monuit, nihil Jonis fragmentis inest, quod offensionem praebeat, nisi quod Periclis adversarius exstitit. Quae simultas Teleclide teste[3]) inde orta erat, quod ambo Chrysillae Corinthiae amore flagrabant, sed ejusmodi nugis nemo fidem habet qui meminit, quot narrationes contumeliosae de omnibus claris viris apud veteres ferrentur. Infensa vero ratio, quae inter Periclem et Jonem intercessit, inde deducenda videtur, quod Jon sicut plerique insignes viri apud Graecos, quorum scripta adhuc exstant, imperio populari minime favit; quare quamquam non sine studio scripsisse videtur, tamen fides ei non abjudicanda est. Omnino vero de eo statuendum est, neque Cimonem injustis laudibus extulisse, neque de adversariis ejus narratiunculas commenticias de industria pro veris venditasse. Ac veri quidem magis studiosum fuisse, quam Stesimbrotum, inde sequitur, quod, cum hic Cimonem nulla liberali disciplina institutum tradidisset, ut imaginem viri Peloponnesii quam maxime exprimeret, Jon non solum Cimonem musicae peritum fuisse narravit, sed etiam inter epulas apud

[1]) Suidas s. v. *Ἴων* Harpocratio s. v. *Ἴων*.
[2]) fragm. hist. Graec. t. II p. 45.
[3]) Meineke hist. crit. comic. Graec. p. 87; Athenaeus X p. 436 E.

Laomedontem non ineleganter cecinisse eamque ob rem laudatum esse, utpote Themistocle exercitatiorem[1]) Inde nobis compertum est, ne in laudando quidem veri fines Jonem excessisse, quare in vituperando quoque eum justum modum adhibuisse arbitror. Itaque non dubito, quin et jocosa illa narratio inter easdem epulas a Cimone prodita de strategemate, quo Byzantii socios fefellit, pro vera habenda sit[2]). Nec minus veri speciem prae se fert, quod de formosa Cimonis figura eximiaque caesarie tradidit[3]); credo tamen, non solum haec[4]), sed totam narrationem de Cimone cum sodalibus per Ceramicum ad arcem procedente ac frenum equi Minervae consecrante Plutarchum ex Jonis libro hausisse. Ratio enim dicendi tam vivida est tamque poëticam habet speciem, ut non tam historicum, quam insignem poëtam agnoscas. Tale quid vero apud Plutarchum saepius observatur, nam oratio ejus est varia et multiplex et, quod Wyttenbachius confirmavit[5]), redolet fontes, quos sequebatur. — Sed praeter haec maxime fide dignum est, quod Cimonem dixisse refert, cum Athenienses, ut Lacedaemoniis contra Messenios et helotas succurrerent, adducere studeret, *μήτε τὴν Ἑλλάδα χωλὴν, μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα περιϊδεῖν γεγενημένην*. Haec sane respondent animo viri clarissimi, qui non Atheniensibus principatum omnium Graecorum acquirere studuit, sed optavit, ut et Sparta et patria, altera terra, altera mari, imperium haberent et, si fieri posset, foedere aequo conjuncti contra barbaros pugnarent. — Ex his igitur, quae exposuimus, et ex fragmentis *ὑπομνημάτων* ipsis, quae a nobis allata sunt, intelligitur, Jonem, quae memoratu digna essent, de Cimone congessisse litterisque mandasse, non rerum scriptorum rationem secutus, sed mores magis quam res gestas depingentem. Talem vero fontem Plutarcho gratissimum fuisse atque ex eo quantum fieri posset hausisse, apparet, quoniam Jonis ratio scribendi ei, quod ipsi erat propositum, maxime erat accommodata[6]). Itaque si in capitibus VI, VII, VIII, IX, XI, XII, XIV, XV Jonem a nostro prima-

[1]) Plut. Cim. c. IX.
[2]) Plut. Cim. c. IX.
[3]) Cim. c. V.
[4]) C. Muellerus in fragm. hist. Graec. Joni haec verba tantum tribuit: *Ἦν δὲ καὶ τὴν ἰδέαν οὐ μεμπτὸς ὡς Ἴων ὁ ποιητής φησιν, ἀλλὰ μέγας οὔλῃ καὶ πολλῇ τριχὶ κομῶν τὴν κεφαλὴν.*
[5]) Wyttenbachius in praef. animadvers. ad op. Moral.; locum accuratius citare nequeo, quod Wyttenbachii liber mihi non praesto est. — Ceterum cfr. quem Lion in commentario de ordine etc. citavit, Barton in ed. Demosth. et Cic. praef. p. III.
[6]) Praeter ea, quae jam supra de Plutarchi ratione scribendi disseruimus cfr. Peteri librum de fontibus Plutarchi in vitis Romanorum p. 1 seq. ubi haec exstant: Nicht jene grossen Historiker, welche die Geschichte von Staaten schrieben, wie Xenophon, Ephorus, Polybius, Livius, waren es, die er seiner Darstellung zu Grunde legte; denn er wollte das Leben einzelner grosser Männer, nicht die Entwickelung von Staaten schildern, auch nicht allgemein bekannte Dinge wiederholen, — ihn zogen vor allen solche Schriften an, welche seinen Helden speziell behandelten und ihn möglichst hervortreten liessen; z. B. um mich auf die römischen Biographieen zu beschränken: die Memoiren des Sulla, des Volumnius und Messala, der speziellen Freunde des Brutus, die Lebensbeschreibung des Cato Uticensis von seinem Gesinnungsgenossen Thrasea und die des Cicero von seinem Freigelassenen Tiro; von umfassenderen Geschichtswerken benutzte er nur solche, die einen mehr biographischen Charakter hatten, wie z. B. die Annalen des Fabius und Valerius Antias,

rium fontem adhibitum esse suspicor, non nimis audacem conjecturam proposuisse mihi videor. Praeterea benevolam narrationem in capite IV de ratione, quae inter Cimonem et Elpinicen intercesserit, Jone auctore Plutarchum prodidisse arbitror, infensam fortasse Eupolidi debuit, quoniam comici, atque ex iis praecipue Eupolis, quamquam in universum quidem Cimonem ejusque similes laudare solebant, tamen nonnunquam viros illos ab ipsis praedicatos illudere non dedignabantur. Quod ad fidem pertinet rebus a Plutarcho Jone auctore narratis tribuendam, ego neque video, cur iis deneganda sit, neque, quod sciam, quisquam argumentis connixus gravioribus re vera denegavit. Si quis fortasse rationem temporum ut paululum obscuram vituperat, obloqui nequeo; sed de his rebus disputare non meum est, postquam Arnoldus Schaferus[1]) eas ad umbilicum adduxit atque rectum illorum temporum ordinem proposuit. —

Poëtae veteris comoediae Plutarcho saepe usui fuerunt, quamvis auctoritatem eorum parvi faceret, ut ex comparatione Aristophanis cum Menandro intelligitur. Illius enim poësin meretricis similem esse dicit, quae aetate jam ultra vigorem progressa matronam imitans ne a vulgo quidem ferri possit propter insolentiam, propter impudicitiam autem et malitiam omnibus gravibus viris abominanda sit[2]). Quae vitia, si Plutarchi sententiam sequimur, etiam apud ceteros veteris comoediae poëtas inveniuntur; quamobrem consentaneum est, iniquum illud Plutarchi judicium ad eos quoque referri. Scriptor nimirum ingenti veteris comoediae licentia offensus poëtam non acerrima petulantia singulos homines perstringentem, sed generales tantum morum descriptiones exhibentem ceteris comicis anteposuit. Sed quamquam tam severe de his poëtis judicavit, tamen non cunctatus est, eos adhibere, quatenus virorum illustrium laudes praedicarent. Viri autem a poëtis comicis laudati non erant ii, qui imperio populari faverent, sed ii, qui effrenatae populi licentiae quammaxime repugnarent. Hoc enim est proprium poëtarum veteris comoediae, ut antiqui moris tenaces novarumque rerum contemptores se praestent, quippe quibus majorum instituta et patrii mores funditus evertantur. Quamobrem cum viros, qui a populi partibus starent, vehementer vexarent atque traducerent, Cimonem ejusque similes tanquam exempla honestorum bonorumque civium proposuerunt. Quod jam Cratinum fecisse, veteris comoediae principem atque antesignanum, ex Plutarcho discimus; nam c. X liberalitate Cimonis laudata hos versus ex Cratini Archilochis desumptos affert:

---

welche die Thaten ihrer Stammesgenossen besonders ausführlich behandelt hatten und ähnliche. Hier fand er Stoff, wie er ihn brauchte und zwar meist schon so gefärbt, wie er seinem Zweck entsprach; nur dann wenn ihm derartige Quellen fehlten, griff er zu jenen grösseren Werken, deren allgemeine Kenntniss man bei seiner grossen Belesenheit allerdings voraussetzen darf und muss.

[1]) A. Schaefer diss. de rerum post bellum etc.

[2]) Plut. op. ed. Reiske tom. IX, p. 388.

Κἀγὼ γὰρ ηὔχουν Μητρόβιος ὁ γραμματεὺς
Σὺν ἀνδρὶ θείῳ καὶ φιλοξενωτάτῳ
Καὶ πάντ᾽ ἀρίστῳ τῶν Πανελλήνων πρὸ τοῦ
Κίμωνι λιπαρὸν γῆρας εὐωχούμενος
Αἰῶνα πάντα συνδιατρίψειν. Ὁ δὲ λιπὼν
Βέβηκε πρότερος.

Pauper scriba Metrobius, qui Cimonis benevolentia et liberalitate usus esse videtur, virum praeclarum praedicat. Videmus igitur Cratinum, quamquam reprehendendi acerbitate insignem[1]), tamen viris egregie moratis atque vero rei publicae commodo operam navantes justas laudes non denegasse. Sed non solum in Archilochis Cimonem laudavit, sed etiam in Divitiis (*Πλούτοις*), in quibus cum aureae aetatis imaginem exhiberet, Cimonem virum et honestissimum et liberalissimum ante oculos habuisse videtur[2]), quare hanc Cratini fabulam respicientem Plutarchum haec de liberalitate Cimonis dixisse arbitror: *ἡ δὲ Κίμωνος ἀφθονία καὶ τὴν παλαιὰν τῶν Ἀθηναίων φιλοξενίαν καὶ φιλανθρωπίαν ὑπερέβαλεν. Οἱ μὲν γὰρ, ἐφ᾽ οἷς ἡ πόλις μέγα φρονεῖ δικαίως, τό τε σπέρμα τῆς τροφῆς εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκαν ὑδάτων τε πηγαίων χρῆσιν καὶ πυρὸς ἔναυσιν ἀνθρώπους ἐδίδαξαν, ὁ δὲ τὴν μὲν οἰκίαν τοῖς πολίταις πρυτανεῖον ἀποδείξας κοινὸν, ἐν δὲ τῇ χώρᾳ καρπῶν ἑτοίμων ἀπαρχὰς καὶ ὅσα ὧραι καλὰ φέρουσι χρῆσθαι καὶ λαμβάνειν ἅπαντα τοῖς ξένοις παρέχων τρόπον τινὰ τὴν ἐπὶ Κρόνου μυθολογουμένην κοινωνίαν εἰς τὸν βίον αὖθις κατῆγεν*[3]) Totum locum poëticam quandam originem redolere jam Ekkerus[4]) vidit, sed ad quem poëtam Plutarchus se applicuerit, non indagavit. — Quum in Archolochis Cimonis ut mortui mentio fiat, sequitur, hanc fabulam actam esse non multo post Ol. 83, 3. Fabulam autem, quae *Πλοῦτοι* inscribitur, Cratinus docuisse videtur c. Ol. 85, quo tempore lex lata erat, ne quis nominatim notaretur. Ea igitur in illam aetatem incidit, qua etiamtum Cratinus ingenii vigore atque alacritate floruit; nam quamquam anno demum secundo Ol. 89, si Meinekium[5]), vel Ol. 89, 3, si Bergkium sequimur[6]), obiit septem et nonaginta annos natus, tamen inde ab Ol. 87 ingenium ejus magis in dies hebetatum fuisse constat. —

Praeter Cratinum Plutarcho Eupolis quoque usui fuit, cujus ex fabula *Πόλεις* inscripta hos versus desumpsit:

---

[1]) Cfr. Platonius *περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων* apud Meinekium in hist. crit. com. poët. I, 534.

[2]) Cfr. Bergk comment. de reliq. com. att. p. 199.

[3]) Plut. Cim. c. X.

[4]) Ekker ed. Cim. p. 96.

[5]) Meineke hist. crit com. att. p. 45.

[6]) Bergk comment. de reliq. com att. p. 188.

Κακὸς μὲν οὐκ ἦν, φιλοπότης δὲ κἀμελής·
Κἀνίοτ' ἂν ἀπεκοιμᾶτ' ἂν ἐν Λακεδαίμονι
Κἂν Ἐλπινίκην τήνδε καταλιπὼν μόνην[1]).

Fabulae titulum a Plutarcho non citatum nobis scholiasta Aristidis t. III, p. 515 ed. Dind. servavit: *Δίδυμος δέ φησιν οὐχ ὅτι ἐλακώνιζεν, ἀλλ' ὅτι Ἐλπινίκῃ τῇ ἀδελφῇ συνῆν· αἴτιοι δὲ τῆς διαβολῆς οἱ κωμικοὶ καὶ μάλιστα Εὔπολις.* Cujus fabulae secundum Meinekii[2]) sententiam idem fere argumentum fuit, quod fabulae *Δῆμοι* inscriptae; nam cum in hac eas res tractaret, quae ad reipublicae domesticam disciplinam pertinerent, virosque insignes Miltiadem, Aristidem, Cimonem[3]), Periclem ex inferis excitatos ut exempla bonorum civium in scenam produceret: in *Πόλεσιν* Athenienses exhortatus est, ne diutius avare crudeliterque in socios consulerent. Itaque intelligere nequeo, cur Meinekius Eupolin vituperaverit, quod Cimonem a Cratino summis laudibus elatum crudelissime vexaverit; nam, quod Bergkius monet[4]), poëta his versibus Cimonem non solum reprehendit, sed etiam virtutis praeconio ornavit. Eupolis igitur, ceteroquin immodicus in conviciis, famam virorum vere e republica agentium minime laesit, sed etsi non inconsideratum laudatorem se praestitit, justis laudibus eos non privavit. — Quo anno fabula acta sit, pro certo dici nequit; attamen poëta eam ante Siculam expeditionem docuisse videtur[5]). — De vita Eupolidis disputare nostrum non est; sufficit igitur commemorare, eum natum esse Athenis Ol. 83, 3. fabulam primam docuisse 87, 4 et vitam ultra Ol. 92 produxisse[6]).

Tertius comicorum in censum veniat Aristophanes, cujus fabula *Λυσιστράτη* inscripta in errorem inductus Plutarchus duas expeditiones in Peloponnesum factas esse tradidit. Namque in fabula illa Aristophanes Lysistratam[7]) haec pronunciantem induxit:

εἶτ' ὦ Λάκωνες, πρὸς γὰρ ὑμᾶς τρέψομαι,
οὐκ ἴσθ', ὅτ' ἐλθὼν δεῦρο Περικλείδας ποτὲ
ὁ Λάκων, Ἀθηναίων ἱκέτης καθέζετο
ἐπὶ τοῖς κωμοῖς ὠχρὸς ἐν φοινικίδι,
στρατιὰν προσαιτῶν; ἡ δὲ Μεσσήνη τότε

---

1) Plut. Cim. c. 15.
2) Meineke hist. crit. com. p. 140.
3) Schol. Arist. III, p. 672 ed. Dind.: *Εὔπολις ἐποίησεν ἀναστάντα τὸν Μιλτιάδην καὶ Γέλωνα καὶ Περικλέα*, ubi pro Gelone Valkenarius Solonem posuit. Quae emendatio Meinekio placet; mihi vero Elsmleii conjectura *Κίμωνα* probata est, quod temporum ordo in virorum serie servatur.
4) Bergk comment. de reliq. com. att. p. 200.
5) Meineke hist. crit. com. p. 141.
6) Meineke p. 104.
7) Aristoph. Lysistr. v. 1137.

ὑμῖν ἐπέκειτο, χὡ θεὸς σείων ἅμα.
ἐλθὼν δὲ σὺν ὁπλίταισι τετρακισχιλίοις
Κίμων ὅλην ἔσωσε τὴν Λακεδαίμονα.

Sed haec est narratio comicorum more nimis vividis coloribus ornata, quae et per se vix fide digna videtur et Thucydidis testimonio plane repugnat. Hic enim unam tantum expeditionem refert, non initio belli factam, sed *ὡς αὐτοῖς* (scl. Lacedaemoniis) *πρὸς τοὺς ἐν Ἰθώμῃ ἐμηκύνετο ὁ πόλεμος.* Accedit etiam quod Plutarchus ipse nos docet, Cimonem exercitui, a quo Thasos oppugnaretur, praefuisse; quamobrem cum initium belli Messenii in secundum annum obsidionis illius incidat, Cimon Lacedaemoniis auxilio venire non potuit. Quae, quamvis in aperto esse videantur, tamen Ekkero non probantur[1]). Patronus igitur Plutarchi exsistit, sed frustra; nam ut duas illas expeditiones retineat, argumenta fere nulla affert, nisi quibus Kruegeri temporum rationem rejiciendam esse comprobet. Sed haec non sufficere apparet; ac re vera viri doctissimi, inter quos Arnoldus Schaeferus[2]), quamquam temporum ordinem a Kruegero propositum minime sequuntur, Thucydidi soli fidem habendam esse persuasum habent. Etenim hic, si quid de duplici expeditione comperisset, sine dubio in digressione non silentio praetermisisset, quoniam ad propositum necessario pertinuit. Sed praeterea, si Plutarchum sequimur, infensa offendimur ratione, quam jam tunc inter Corinthios et Megarenses exstitisse dicit, cum Thucydide teste illa in posterius tempus incidat, quam rem, cum jam in capite de Stesimbroto exposuerimus, nunc breviter tantum commemorare liceat. — Haec quidem de comicis a Plutarcho in vita Cimonis conscribenda adhibitis sufficiant, quare ad eum scriptorem transire licet, quem praeter hos Plutarchus primarium fontem secutus est, **Nausicratem Erythraeum** dico. De hoc vero valde doleo quod nihil constat, nisi quod Isocratis discipulus fuit exemploque magistri, qui mortuum Euagoram laudaverat, orationes funebres conscripsit[3]). Eum etiam orationem in laudem Cimonis composuisse Ruhnkenius ex his verbis Plutarchi collegit. *Τιμῶσι δὲ καὶ Κιτιεῖς τάφον τινὰ Κίμωνος, ὡς Ναυσικράτης ὁ ῥήτωρ φησὶν, ἐν λοιμῷ καὶ γῆς ἀφορίᾳ τοῦ θεοῦ προστάξαντος αὐτοῖς μὴ ἀμελεῖν Κίμωνος, ἀλλ' ὡς κρείττονα σέβεσθαι καὶ γεραίρειν*[4]). Sed Plutarchum non haec tantum, sed totam fere narrationem de Cimonis expeditione in Cyprum et de morte ejus ex Nausicrate hausisse, eo mihi probatur, quod quae c. XVIII et XIX exposita sunt, non simplicem rerum gestarum speciem praestant, sed declamationem mirabilibus fabulosisque rebus exornatam sapiunt. His enim locis Plutarchus narrat, Cimoni canem visam esse latrantem, quae ex latratu ei haec verba succlamavisset: *Στεῖχε, φίλος γὰρ ἔσῃ καὶ ἐμοὶ καὶ ἐμοῖς σκυλάκεσσιν.* Hanc vero visionem Cimoni mortem denunciare, Astyphilum Posidoniatem explicavisse;

---

1) Ekker ed. Cim. p. 137.
2) Schaefer de rerum post bellum pers. etc. p. 17.
3) Ruhnken hist. crit. orat. Graec. p. 351.
4) Plut. Cim. c. XIX.

nihilominus tamen a consilio eum non esse deterritum et in sacrificando ei iterum evenisse omina. Profectum jam in Cyprum legatos ad templum Ammonis misisse, qui deum de hac re consulerent. Deum jussisse legatos redire, quoniam Cimon jam apud se esset. — Plutarchum autem etiam res in illa expeditione gestas Nausicrate auctore narravisse, inde conjicio, quod et Nausicratem citavit, et in rerum gestarum descriptione ab omnibus auctoribus discrepat. Thucydides enim nos docet, Persas post mortem demum Cimonis terra marique devictos esse [1]), Diodorus [2]) autem primum Citium dicit expugnatum, deinde a Cimone duas pugnas commissas esse, alteram mari apud Cyprum, alteram terrestrem in Cilicia; tum iterum Athenienses in Cyprum profectos oppida in insula cepisse; Salamina autem Cimone suadente oppugnatam esse; interea regem pacis studiosum legatos Athenas misisse, et pacem illam clarissimam compositam esse; interea vero, dum in Cypro Cimon moraretur, morbo absumptum esse. Plutarchus contra pugnam tantum navalem commissam esse refert Cimone duce; deinde a Graecis urbes in Cypro captas, Cimonem autem inter Citii obsidionem morbo correptum obiisse. Alios autem referre vulnere mortuum esse in pugna cum barbaris accepto. Quam igitur narrationem si Nausicrati tribuimus res optime expeditur, ut, quare Plutarchus a ceteris scriptoribus recedat, intelligamus. —

Jam sequitur, ut de fontibus disseramus, quos non primarios Plutarchus secutus est, sed de singulis tantum rebus adhibuit; initium autem capiendum videtur a poëtis elegiacis, quorum tres a scriptore citati sunt: Melanthius, Archelaus, Critias.

Melanthius igitur Philocle patre, Aeschyli sororis filio, natus, poëta tragicus atque elegiacus fuit [3]). Propter voracitatem famosus acerbissime a poëtis comicis vexatus est, ut apparet ex Athenaeo [4]): *Μελάνθιος — ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής, ἔγραψε δὲ καὶ ἐλεγεῖα· κωμῳδοῦσι δ᾽ αὐτὸν ἐπ᾽ ὀψοφαγίᾳ Λεύκων ἐν Φράτορσιν, Ἀριστοφάνης ἐν Εἰρήνῃ, Φερεκράτης ἐν Πετάλῃ, ἐν δὲ τοῖς ἰχθύσιν Ἄρχιππος τῷ δράματι ὡς ὀψοφάγον δήσας παραδίδωσι τοῖς ἰχθύσιν ἀντιβρωθησόμενον.* Praeter duos anapaestos ex Medea desumptos et versum quendam a Plutarcho in libello de ser. num. vind. servatum ex scriptis ejus nihil restat, nisi distichon in laudem Polygnoti compositum, quod Plutarchus vitae Cimonis [5]) inseruit. Praeterea eum citavit [6]) de origine Cimonis et

---

[1]) Thucyd. I, 112: *Κίμωνος δὲ ἀποθανόντος ἀπεχώρησαν ἀπὸ Κιτίου καὶ πλεύσαντες ὑπὲρ Σαλαμῖνος τῆς ἐν Κύπρῳ Φοίνιξι καὶ Κίλιξι ἐναυμάχησαν καὶ ἐπεζομάχησαν ἅμα, καὶ νικήσαντες ἀμφότερα ἀπεχώρησαν ἐπ᾽ οἴκου.*

[2]) Diodor. l. XII, c. 3 § 4.

[3]) Bernhardius quidem putat elegias alii Melanthio aetate priori tribuendas esse hist. litt. graec II, 2. p. 53

[4]) Athen VIII, p. 343 B.

[5]) Plut. Cim. c. IV.

[6]) Plut. Cim. l. c.

de duabus feminis Asteria et Mnestra, quas Cimon adamasse dicitur. Haec omnia nimirum poëtam in elegiis attigisse statuendum est, quamquam Plutarchus de amoribus tantum elegias citavit, de familia vero in universum ad *ποιήματα* Melanthii provocavit. — Sed praeter Asteriam et Mnestram Cimonem Isodices, Euryptolemi filiae, amore caluisse noster tradit; eam autem in matrimonium duxisse ejusque mortem aegerrime tulisse. Quod conjici posse putat ex elegiis ad leniendum luctum Cimonis conscriptis, quas Panaetius philosophus, non absurde ex temporibus conjecturam ducens, Archelaum physicum condidisse credat. Inde igitur apparet, Plutarchum Archelai elegias non ipsum inspexisse, sed versus tantum quosdam illius apud Panaetium invenisse. Cum vero neque sciamus, in quo libro Panaetius conjecturam illam proposuerit, neque ab aliis scriptoribus hac de re nobis quidquam relatum sit, dicere non possumus, quo jure Panaetius Archelaum, Cimonis aequalem, versuum illorum auctorem habuerit.

Denique Critiam Plutarchus citavit, quoniam in hoc disticho [1]) Cimonis mentionem fecerat:

Πλοῦτον μὲν Σκοπαδῶν, μεγαλοφροσύνην δὲ Κίμωνος,
Νίκας δ᾽ Ἀγεσίλα τοῦ Λακεδαιμονίου.

Hunc Critiam elegiarum poëtam diversum fuisse a Critia tyranno, Alexander Aphrodisiensis (apud Philopon. ad Arist. de anim. p 8 C.) contendit, cujus sententiam Vossius [2]) et Heerenius [3]) secuti sunt; ego vero cum Westermanno [4]) et aliis statuo, unum eundemque Critiam esse, poëtam tragicum, elegiacum, scriptorem rerum publicarum. Plutarchus, qui haud raro Critiae opera adhibuisse videtur, sine dubio ad *Ἀθηναίων Πολιτείαν* se applicans in vita Cimonis c. XVI refert, Cimonem, quum Lacedaemonii ab helotis et Messeniis pressi misso Periclida Atheniensium auxilium implorarent, Ephialtes vero repugnaret et obtestaretur, ne illis succurrerent: patriae incrementum posthabuisse commodo Lacedaemoniorum populoque contrarium persuasisse. —

Oratores praeter Nausicratem, de quo jam supra exposuimus, duo Plutarcho usui fuerunt, Aeschines et Gorgias. Ex Aeschinis oratione in Ctesiphontem [5]) versus quosdam exscripsit, qui in laudem Cimonis compositi populi jussu in hermis incisi erant. Fieri quidem potest, ut quis conjiciat, scriptorem nostrum hos versus non ex Aeschinis oratione, sed de hermis ipsis descripsisse; ii autem, qui in hanc sententiam se inclinant, attendant quaeso, Plutarchum versus eodem turbato ordine afferre, quo Aeschines, quod, si non ex Aeschine exscripsit, fieri vix potuit, quum de tali re utrumque in errorem incidisse, nemo facile sibi persuadeat. Turbatum autem ordinem esse,

---

[1]) Plut. Cim. c. X.

[2]) Vossius de hist. graec. p 422.

[3]) Heeren de font. p. 24.

[4]) in adnot. ad Vossium l. c.

[5]) Aesch. in Ctesiph. § 184.

nuper Richterus [1]) tam dilucide exposuit, ut emendationem ab illo propositam probemus necesse sit, praesertim cum rationem, qua Aeschines in errorem inductus sit, perspicere liceat. Ordo igitur versuum a Richtero propositus hic est:

I. *Ἔκ ποτε τῆσδε πόληος ἅμ' Ἀτρείδῃσι Μενεσθεὺς*
Ἡγεῖτο ζάθεον Τρωϊκὸν ἐς πεδίον·
Ὅν ποθ' Ὅμηρος ἔφη Δαναῶν πύκα θωρηκτάων
Κοσμητῆρα μάχης ἔξοχον ὄντα μολεῖν.
Οὕτως οὐδὲν ἀεικὲς Ἀθηναίοισι καλεῖσθαι
Κοσμηταῖς πολέμου τ' ἀμφὶ καὶ ἠνορέης.

— — — — — — — — — — —

II. *Ἦν ἄρα κἀκεῖνοι ταλακάρδιοι, οἵ ποτε Μήδων*
Παισὶν ἐπ' Ἠϊόνα Στρυμόνος ἀμφὶ ῥοὰς
Λιμόν τ' αἴθωνα κρυερόν τ' ἐπάγοντες Ἄρηα
Πρῶτοι δυσμενέων εὗρον ἀμηχανίην.

— — — — — — — — — — —

III. *Ἡγεμόνεσσι δὲ μισθὸν Ἀθηναῖοι τάδ' ἔδωκαν*
Ἀντ' εὐεργεσίας καὶ μεγάλων ἀγαθῶν.
Μᾶλλόν τις τάδ' ἰδὼν καὶ ἐπεσσομένων ἐθελήσει
Ἀμφὶ περὶ ξυνοῖς πράγμασι δῆριν ἔχειν.

Apud Aeschinem vero et Plutarchum versus, quos Richterus primo loco posuit, tertium occupant, unde magna difficultas interpretibus orta est, cum nescirent, quo referendum esset illud *ἄρα* et *καί*. Emendatum autem si sequimur ordinem, aptum sensum efficimus; poëta enim a pristinis Atheniensium laudibus exorsus res ab aequalibus gestas praedicat, tum gloriam imperatorum praemiaque iis tributa prosequitur, sub finem denique lectores alloquitur eosque, ut majorum virtutem sequantur, admonet Sed non solum ordinem justum Richterus restituit, sed causam quoque erroris aperuit. Hermas enim trianguli modo inter se dispositas fuisse conjecit.

(I)

(II) (III)

Ita sane facillime evenire potuit, ut epigramma primum pro tertio, secundum pro primo ab Aeschine legeretur.

---

[1]) Annales philol. et paed. fasc. I a. 1866.

Gorgiam Leontinum Plutarchus semel tantum [1]) citavit, ubi illud sophistae attulit: *τὸν Κίμωνα τὰ χρήματα κτᾶσθαι μὲν, ὡς χρῷτο, χρῆσθαι δὲ, ὡς τιμῷτο.* Quae verba utrum scriptor ex libro aliquo Gorgiae desumpserit, an apud alium scriptorem legerit, incertum relinquendum est. —

Jam sequitur, ut de historicis disseramus, quibus Plutarchus usus est, Ephoro, Callisthene, Cratero, Diodoro Periegeta, Phanodemo. Initium vero capere placet ab Ephoro Cumano, Isocratis auditore. Hic quidem teste Diodoro Siculo [2]) historiam composuit, qua res per DCCL annos gestas inde ab Heraclidarum reditu usque ad Perinthum a Philippo Macedonum rege obsessam complexus est. Quod opus, quamquam interiit, tamen Diodoro [3]) de rebus Graecis referenti valde profuit, ut inde, quae Ephorus tradiderit, facile conjicere liceat. Diodori autem libris X, XI, XII cum vita Cimonis comparatis apparet, Plutarchum Ephoro fere omnino non usum esse. Ut exempla afferam, Diodorus ducem expeditionis Byzantium factae Aristidem tantum refert, Plutarchus praeter hunc Cimonem; nec minus Diodorus de Cimonis virtute in sociis conciliandis praestita prorsus tacet. Praeterea Diodorus pacem cum Persis post Cimonis mortem factam esse tradit, Plutarchus post pugnam ad Eurymedontem. Expeditionem Atheniensium in Peloponnesum Diodorus unam refert, Plutarchus duas. Valde deinde discrepant in pugnae Salaminiae descriptione. Diodorus denique multa in unum annum contraxit, quae Plutarchum compluribus tribuisse apparet. Itaque Plutarchum nisi de levioribus illis rebus c. XII commemoratis Ephorum non adhibuisse, in aperto esse arbitror.

Callisthenes et Craterus a Plutarcho de pace Cimonia citantur. Callisthenes quidem Plutarcho teste paci illi fidem denegavit; quam rem in Hellenicis attigisse videtur, quibus res gestas Graecorum inde a pace Antalcidae usque ad annum, quo templum Delphicum a Philomelo Phocensi captum et expilatum fuit, complectebatur [4]). Quo in opere, si Lucae [5]) conjecturam sequimur, antequam propositum exsequeretur, de superioris temporis rebus gestis breviter explicavit; mihi tamen ea non probatur. Magis enim consentaneum mihi esse videtur, pace Antalcidia tam saepe ab oratoribus aliisque scriptoribus Cimoniae opposita eum adductum fuisse, ut et hanc commemoraret et accuratius in eam, num vere composita esset, inquireret. De fide vero Callistheni tribuenda, quantum quidem ex fragmentis conjici potest, statuendum videtur, eum omnino veri studiosum fuisse, nisi quod de Alexandro Magno, quem, ut Polybius dicit, *ἀποθεοῦν οὐκ ἐβουλήθη*, justo iniquius judicavit [6]). —

---

[1]) Plut. Cim. c. X.
[2]) Diod. Sic. IV, 1.
[3]) Cfr. Heyne de fontibus Diodori p. 80 ed. Bipont.
[4]) Vossius de hist. graec. p. 74.
[5]) Lucas Cimon etc. p. 11.
[6]) Ceterum cfr. de Callisthene Westermann de Call. Olynth. vita et scriptis. Lips. 1838.

C r a t e r u s, Antigonae Gonatae frater, *συναγωγὴν ψηφισμάτων* vel libros *περὶ ψηφισμάτων* composuit; neque tamen in hoc opere inscriptiones tantum collegisse putandus est, sed eas narrationi inseruit, ut res gestas confirmaret. Quod apparet ex Plut. Aristid. c. XXVI, nisi forte hoc loco scriptor ad alium Craterum provocavit. Librorum *περὶ ψηφισμάτων* ad minimum novem fuisse, Stephani Byzantii et Harpocrationis testimoniis comprobatur [1]). Quod opus, quam fide dignum fuerit, difficile est dictu, cum praeter indutiarum Cimoniarum leges nihil, quod sciam, supersit. Ekkerus quidem satis caute ei plus fidei tribuendum esse censet, quam ei tribui voluerit Dahlmannus in disput. de pac. Cim. p. 18, quod Boekhius magnam partem documentorum in illo opere servatorum ex inscriptionibus, reliqua ex tabellario Attico petita fuisse, persuasum habeat. Sed quamquam Ekkerus de Cratero ita judicavit, tamen Dahlmanno pacem Cimoniam rejicienti prorsus assensus est; argumenta vero, quibus hic pacem nunquam initam esse comprobare studuit, brevissime tantum exposuit, cum Dahlmanni sententiam tam certam esse putaret, ut acta acturus sibi videretur, si longius de hac re disserere vellet. Sed Dahlmanno nuper oblocutus est Grotius [2]), vir summa profecto auctoritate; quamobrem hanc pacem non breviter tantum attingamus necesse est. De pace igitur Plutarchus secundum Craterum ita explicat: *Τοῦτο τὸ ἔργον* (scl. pugna ad Eurymedontem commissa) *οὕτως ἐταπείνωσε τὴν γνώμην τοῦ βασιλέως, ὥστε συνθέσθαι τὴν περιβόητον εἰρήνην ἐκείνην, ἵππου μὲν δρόμον ἀεὶ τῆς Ἑλληνικῆς ἀπέχειν θαλάσσης, ἔνδον δὲ Κυανέων καὶ Χελιδονίων μακρᾷ νηῒ καὶ χαλκεμβόλῳ μὴ πλεῖν* [3]). Diodorus, Ephorum, ut videtur, secutus has pacis leges fuisse dicit: *αὐτονόμους εἶναι τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἑλληνίδας πόλεις ἁπάσας, τοὺς δὲ τῶν Περσῶν σατράπας μὴ καταβαίνειν ἐπὶ θάλατταν κατωτέρω τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν, μηδὲ ναῦν μακρὰν πλεῖν ἐντὸς Φασήλιδος καὶ Κυανέων* [4]). Majoris autem momenti est, quod Plutarchus pacem post pugnam ad Eurymedontem, Diodorus post pugnam ad Salamina Cypriam commissam factam esse dicit. Valde deinde et a Plutarcho et a Diodoro dissentiunt Isocrates et Demosthenes, quorum ille Halyn, hic spatium viae, quam equus uno die emetiri possit, Graecis in Asia finem constitutum fuisse, nos docet [5]). Quum igitur diversis diversorum scriptorum testimoniis offendamur, tum suspicionem nobis movet, quod finis terrestris ex orae Asiaticae natura vix talis constitui potuit, qualem plerique constitutum volunt; finem vero septentrionem versus constituere operae vix pretium erat, quod Persis omnino in ponto Euxino naves longae non fuisse videntur [6]). Praeterea mihi persuadere

---

[1]) Cfr. Boekh praef. corp. inscr. p. VIII n. 19.

[2]) Grote hist. graec. III. p. 262 vers. Germ.

[3]) Plut. Cim. c. XIII.

[4]) Diod. c. XII, 14.

[5]) Cfr. Demosth. de fals. leg. c. 77. pro Rhod. libert. c. 13. — Isocrat. Panegyr. c. 33. Areop. c. 37. Panath. c. 20.

[6]) Cfr. Dahlmann p. 55.

nequeo, Thucydidem, qui pugnam ad Eurymedontem, bellum Aegyptium, pugnam ad Salamina Cypriam commissam referat, indutias Cimonias, rebus usque ad illud tempus ab Atheniensibus praeclare gestis quasi cumulum addentes, prorsus silentio praetermissurum fuisse. Accedit etiam, quod veteres scriptores de rebus nos certiores faciunt, quae pacis legibus repugnent. Constat enim et singulas urbes Jonicas a Persis expugnatas esse [1]), et Pissuthnem Samiis deficientibus auxilium praebuisse [2]). Deinde Herodotus testis est, Graecos in Asia non liberatos esse tributis, quae Persis persolverent: — *καὶ τὰς χώρας σφέων μετρήσας* (scl. satrapes Artaphernes post pugnam ad Laden factam) *φόρους ἔταξε ἑκάστοις, οἳ κατὰ χώραν διατελέουσι ἔχοντες ἐκ τούτου τοῦ χρόνου αἰεὶ ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ὡς ἐτάχθησαν ἐξ Ἀρταφέρνεος· ἐτάχθησαν δὲ σχεδὸν κατὰ τὰ αὐτὰ, τὰ καὶ πρότερον εἶχον* [3]). Grotius autem, ut et pacem compositam tueatur et comprobet, urbes Graecas in Asia, ex quo in Atheniensium societatem receptae essent usque ad exitum expeditionis ab Atheniensibus in Siciliam factae neque tributa Persis persolvisse, neque ut persolverent excitatas esse, haec verba Thucydidis adhibet: *ἐπήγετο γὰρ καὶ ὁ Τισσαφέρνης τοὺς Πελοποννησίους καὶ ὑπισχνεῖτο τροφὴν παρέξειν. Ὑπὸ βασιλέως γὰρ νεωστὶ ἐτύγχανε πεπραγμένος τοὺς ἐκ τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς φόρους, οὓς δι' Ἀθηναίους ἀπὸ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων οὐ δυνάμενος πράσσεσθαι ἐπωφείλησεν* [4]). Vocabulum enim *νεωστὶ* Grotius interpretatur „eben erst", sed huic versioni, per se jam satis dubiae, parum aptum esse verbum *τυγχάνειν* Bemmannus [5]) mea quidem sententia optimo jure monuit. Sed alia etiam exstant argumenta, quibus pacem nunquam factam esse comprobari possit. Plutarchus enim ipse nobis tradidit, Callisthenem [6]) pacem factam esse negavisse. Quam sententiam cum Theopompum [7]) quoque habuisse notum sit, apparere credo, scriptorum quinti ante Christum natum saeculi neminem pacis testem exstitisse, sequentis autem saeculi duos, qui indutias nunquam initas esse contenderent. Etenim locos Lysiae [8]), Platonis [9]) et Andocidis [10]) ad pacem confirmandam nihil valere, quicunque non praeoccupato animo de hac re judicant, libenter

---

[1]) Thucyd. IV, 52. 72. VIII, 108. II, 47. III, 34.

[2]) Thucyd. I, 115.

[3]) Herod. VI, 42. Grotius quidem contendit Herodotum non de solutione, sed de aestimatione tributorum loqui; sed eum refutavit Dikema in dissert. de pac. Cimon. Groning. 1859.

[4]) Thucyd. VIII, 5.

[5]) Bemmann recogn. quaest. de pac. Cim. p. 9 Berol. apud Calvary 1864.

[6]) Plut. Cim. XIII. Hoc Callisthenis testimonium Grotius prorsus silentio praetermittit.

[7]) Harpocratio s. v. *Ἀττικοῖς γράμμασιν. Θεόπομπος δ' ἐν τῇ κε' τῶν Φιλιππικῶν ἐσκευωρῆσθαι λέγει τὰς πρὸς τὸν βάρβαρον συνθήκας, ἃς οὐ τοῖς Ἀττικοῖς γράμμασιν ἐστηλιτεῦσθαι, ἀλλὰ τοῖς τῶν Ἰώνων.* Praeterea cfr. Theon. progymn. II, 7 p. 162 ed. Walzii.

[8]) Lys. ep. § 56.

[9]) Plato Menex. c. 12.

[10]) Andocid. *περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης* § 12.

sane concedent. Accuratius tantum Isocrates [1]) de pace locutus est; sed quis oratoris auctoritatem tantam habeat, ut prae ea gravissima illa argumenta contemnat, quibus pacem non factam esse comprobetur? Quodsi igitur Isocrati fidem habendam esse nego, tamen non credo, illum ipsum pacis Cimoniae famam finxisse, sed Kruegero assentior, qui rumorem ejus tanquam geminae indutiarum Antalcidiarum animis credulis natum credulisque auribus acceptum ab oratoribus paulatim pervulgatum esse statuit [2]). —

Ad Phanodemum incertae aetatis [3]) scriptorem Plutarchus de rebus levioribus provocat, c. XII de numero navium, quae Persis in pugna ad Eurymedontem erant, et c. XIX de verbis *στρατηγουμένους ὑπὸ Κίμωνος*. De his rebus nimirum in Atthide eum egisse, statuendum est.

In historicorum numero etiam Diodorum Periegetam referendum esse, post Prellerum cuique facile probatum sit. Vossius quidem Periegetae nomine in errorem inductus eum geographis ascripsit; Prellerus autem ad Polem. p. 170 nos docuit, Diodorum Theophrasti aequalem fuisse et antiquitatum Atticarum studio tunc maxime florenti operam navavisse. Periegesis ejus certe „tota Attica erat, neque ultra terminos Atticae progressa videtur. Ita de sepulcro Themistoclis Diodorus adhibetur ap. Plut. Them. c. 32 *ἐν τοῖς περὶ μνημάτων* i. e. de monumentis, ut videtur, sepulcrorum. Fabulas etiam ritusque sacros in monumentis perquirendis Diodorum persecutum esse, cernitur ex Plut. Thes. c. 36. Inquirebat etiam in stirpes familiarum Atticarum, Plut. Cim. c. 16. Plurimum vero studii atque operae demis Atticis accurate recensendis eorumque gentilibus ad certas grammaticae leges revocandis navavit [4])". Plutarchus eum tribus locis adhibuisse videtur, quamquam Muellerus in fragm. hist. graec unum tantum fragmentum ejus in vita Cimonis servatum esse opinatur. In capite enim XVI scriptor ad eum de familia Cimonis provocavit, opus nimirum illius *περὶ μνημάτων* secutus. Cum vero Plutarchus c. IV quoque familiae Cimonis mentionem faciat eodemque loco de sepulcris *Κιμωνείοις* referat, mihi quidem non dubium esse videtur, quin et de his rebus Diodoro auctore usus sit, quippe quae consilio operis *περὶ μνημάτων* maxime aptae essent. Ad Diodorum denique respicit c. XIX, ubi *τά μνήματα Κιμώνεια* commemorat. —

Haec quidem de scriptoribus, qui Plutarcho in vita Cimonis componenda usui fuerunt, sufficiunt, atque dissertationis finem facere liceret, si in hac vita scriptor de Cimone solo egisset. Attamen in tribus prioribus capitibus Plutarchus non de Cimone explanavit, sed quam bene Lucullus de patria Chaeronea meritus esset. Quam narrationem, sine dubio ex fama communi Chaeroneae divulgata atque ex annalibus hujus urbis desumptam, Plutarchum prooemii loco non solum vitae

---

[1]) Cfr. loc. supra citat.
[2]) Bemmann p. 3; Krueger hist.-phil. Studien p. 83.
[3]) Utrum in Ico insula natus Theopompi aequalis fuerit, necne, incertum relinquendum est.
[4]) Preller ad Polem. p. 170.

Cimonis, sed omnium vitarum scripsisse, multi viri docti persuasum habent; neque mihi improbatur. Unde enim potius initium ducere potuit, quam a Lucullo de patria optime merito? Accedit etiam, quod in hac vita oblata quidem saepissime occasione ad aliam vitam non provocavit. In Veneto quidem indice, cum quo plurimi codices consentiunt, vitae Cimonis et Luculli tertium locum occupant, sed notum est, ordinem in illo indice non eum esse, quem Plutarchus ipse instituerit, omninoque ex conjectura tantum cuique vitae suum locum assignandum esse [1]). Illam vero conjecturam de vita Cimonis prima a Plutarcho conscripta, quam Bryanus et Solanus proposuerunt, longe praefero opinioni Lionis [2]), qui primarias partes Epaminondae tribuit, nostrum autem ducem quarto loco collocavit. —

---

[1]) Plut. ed. Bekker, praef. Westerm. p. 18.
[2]) Lion comment. de ord. quo Plut. vit. scripserit p. 16.

Schul-Nachrichten

von

Ostern 1866 bis Ostern 1867.

I. Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

PRIMA.

Ordinarius der Director.

Religion (evang.) 2 St. Erklärung des zweiten Briefes Pauli an die Thessalonicher und des ersten Briefes Petri, nach dem Grundtexte. Die wichtigsten Abschnitte der Kirchengeschichte seit der Reformation (nach dem Hilfsbuche von Hollenberg V.). Glaubenslehre nach Luther's Katechismus, zweites Hauptstück: dritter Artikel; Augsburg'sche Confession. Der *Director*.

Deutsch. 3 St. Geschichte der deutschen Nationalliteratur bis Klopstock, nach Koberstein, nebst Mittheilung und Erklärung von Sprach- und Literaturproben; Besprechung der vierwöchentlichen deutschen Aufsätze; die Lehre vom Begriffe und Urtheile, der Definition und logischen Division und Partition; Uebungen im freien Vortrage. Der *Director*.

Latein. 8 St. Im S.-S.: Tacit. Annal. I., im W.-S.: Cic. divinat. in Q. Caecil. u. Verr. l. IV. Pror. Dr. *Brix*. 3 St. Hor. Od III u. IV mit Auswahl, Sat. I, 10, Epist. I, 1 u. 10, Epod. 2, grösstentheils lateinisch interpretirt, einige Oden wurden memorirt. Der *Director*. 2 St. Lateinische Sprechübungen, Durchgehen der freien lateinischen Arbeiten. Pror. Dr. *Brix*. 1 St. Wöchentliche Exercitien und Extemporalien, auch Uebungen in lateinischer Versification. Der *Director*. 2 St.